ANIMADVERSIONES

CIRCA

SSIM CONVULSIVAM

Lane Medical Library

DISSERTATIO
IEDICA INAUGURALIS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

OSI ORDINIS MEDICORUM GRYPHIENSIUM

PRO

SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA

HONORIBUS

IE

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS FRIDERICUS STARCK.
POMERANUS.

GRYPHIAE
FRID. GUIL. KUNIKE, REG. UNIV. TYPOGR.
MDCCCXXVIII.

1828

PRAECEPTORIBUS

ESTIMATISSIMIS, PIE COLENDIS

VIRIS

AMPLISSIMIS, ILLUSTRISSIMIS

A. G. BERNDT

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI,
)FESSORI PUBLICO ORDINARIO, CLINICI
)ICI ET OBSTETRICII ATQUE NOSOCOMII
)VINCIALIS DIRECTORI, PLURIUM SOCIE-
TATUM DOCTARUM SODALI ETC. ETC.
T. T. DECANO.

JIL. SPRENGEL

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI,
)FESSORI PUBLICO ORDINARIO, CLINICI
CHIRURGICI DIRECTORI ETC. ETC.

FAUTORIBUS SUIS

HASCE PAGELLAS

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFAMEN.

B. L.

mine rigoroſo coram gratioſo medicorum
e feliciter riteque ſuperato, ut legibus
micis ſanctisque majorum moribus ſatisfa-
, opusculum quoddam inaugurale erudi-
examini ſubmiſſurus, in eodem de Tuſſi
lſiva loqui eo minus haeſitavi, quo major,
rque mihi fuerit huncce morbnm — nu-
ne in urbe noſtra graſſantem — obſervandi
o, et quo major iſte quoad pathologiam et
am peculiaria exhibere phaenomena nobis
ſit, memoratu haud plane indigna.

Magno vero beneficio me affecerunt viri,
mma cum liberalitate obſervationes meas
endi occaſionem mihi patefactam reddi-
t, et prae ceteris Ill. Berndt, praeceptori
lendo, grata mente me addictum lubentiſ-
onfiteor, quod eo duce omnes, qui in in-
clinico hujus litterarum univerſitatis

occurrebant morbi, de quibus egimus, summa cum diligentia et accuratius obse potuerim, tunc vero non minus illis medici quam observantissime agere debeo gratias summa cum liberalitate mihi permiserunt eorum de morbo nostro largas observati meas facerem, ita ut observationes sequ super septuaginta singulos Tussis convul casus et ultra construere possim.

Si vero Tu B. L. invenies, me in l pagellis rem non eruditorum instar elabo neque acu illam tetigisse, ut vires juvenil posterum forsan meliora daturas — indul ter respicias quaeso.

PROLEGOMENA.

ſtantiſſimus quisque obſervatorum non
bit, qua de re omnes fere medici conve-
quin Tuſſis convulſiva prae ceteris hisce
e raris adnumeranda ſit morbis, medica-
ſaepiſſime cedere nolentibus, qui genus
ıum infeſtant. Quod ſi adhuc argumentis
e opus eſſet, facillime ex cujusvis tuſſis
lſivae epidemiae aſſidua et attenta obſer-
e probaretur, qua docemur, — et nos
e nuperrime docti ſumus — multos et
hujus morbi occurrere et per trimeſtra
tius perdurare, imo ad viceſimam usque
anam protrahi caſus, contra quos medi-
ihil fere valere videtur, quorum vehe-
et pertinacitas nullis, et ne ſummis qui-
onnullorum obſervatorum, laudibus ela-
emediis mitigari poteſt, ita ut, quando
num et pertinacem ſuum abſolverint de-
, perſpicatiſſimus quisque obſervator,
odi aegrotos auxilio medico citius, quam
plane fuiſſent deſtituti ad ſanitatem per-
, contendere nequeat, et ſi ignorare fateri
, num ipſa ars lentam adduxerit ſalutem,

anne potius naturae medicatricis viribus il
tribuenda, et utrum ars parum, vel nihil
hujusmodi caſibus valuerit et fruſtranea f
nihilque effecerit? — Quibus modo mem
alii obſtant ejusdem morbi caſus, iſtis qu
adverſo oppoſiti, eandem vehementiam ean
que pertinaciam ab initio ſimulantes, ae
vero et inprimis qui in caſis paupertatis de
— omnique medicorum cura auxilioque or
ſponte atque ſola naturae medicatricis vi et
tentia feliciter et non raro multo citius q
iſti, ſanantur, quibus ars ſummam aſſiduitat
attentionem et diligentiam dicaverit.

Inde vero patebit, quantum in obſcuro
teat tuſſis convulſivae pathologia et medela
quatenus abditae habeantur ejusdem morbi
tura et indoles. Et ſi quid recte videam,
majoribus tuſſis convulſivae difficultatibus
mitur medicina, eo magis credo medicis eſſe
tendum, ut aſſiduis et caſtis obſervationi
pathologiam et medelam morbi iſtius, de
agemus, excolant et ad liquidum, ſi unqu
fieri poterit eas perducant.

Cui negotio ut proſperi dentur ſucceſſ
et ut in tanta et labyrinthica quaſi hypotheſi
turba genuina exploretur veritas, aliam n
quam eſſe aggrediendam, niſi per experienti
nobis apertam et patefactam, viam exiſtimo,
caveat ſibi qualiscunque medicam exploratu
veritatem obſervator, ne ab iſta via decedat,
que evitando ignorantiae Charybdin in inani
hypotheſium fallaciumque opinionum Scylla
incidat, in cujus vortice natura et experient
veritatis vindices — quod hiſtoria medicin
tot et tantis nos docuit vicibus — facillime

emergi. Et hancce, qua ſola tuſſis con- ae medicina ad optatam perduci poterit ı, nos quoque ingreſſos eſſe credimus viam, pagellas morbi iſtius indagationi dicantes, illa obſervandi occaſione, quam epidemia tuſſis, nuperrime hancce urbem infeſtans, praebuit uſi. Propterea in hocce opus- ıoſtras circa morbum iſtum obſervationes ılum nudam deſcripſimus veritatem, illis- picriſin annexuimus, et utramque ſumma voluptate publici juris fecerimus, ſi ſpe- ıobis liceret, nos non ſine ullo fructu ne- ne ulla artis utilitate, cui nos lubentiſſime ır addictos, hancce opuſculi noſtri inau- s materiam elegiſſe.

I.

Pars hiſtorica.

§ 1.

pſam tuſſim convulſivam, quae anno pro- elapſo in noſtra urbe graſſata eſt, antece- t morbilli, et non fruſtra neque incaſſum nus circa hos, quaſi iſtius praecurſores, ıllas praemittendas eſſe animadverſiones, utriusque morbi cum altero complicatio- ırias et omnino nonnullam inter utrum- ınalogiam probare videntur, quamquam mnes Pohlii *), hujusmodi opiniones,

---

*) ohl, de analogia inter morbillos et tuſſim convul- ivam programma. Lipſ. 1798.

quondam publici juris factas, sed nimis a
risque refutatas, nostras hactenus non f
volumus.

§ 2.

Morbilli primo mense Maj. a. MDCCCX
incolas nostrae urbis infantiles infestabant
initium invasionis non valde frequentes,
et ad eum usque gradum benigni ut plurim
grotantium pars auxilio medico vix egere
nos ipsi meminerimus, saepius infantes e
themate morbilloso in facie et manibus aff
nobis in plateis obvios fuisse, et quidem q
tum scimus, sine damno et sine graviori m
decursu ex pravo isto regimine orto. Mox
epidemia magis magisque exculta et progr
eandem benignitatem non amplius exhibui
quamquam morbus iste hactenus nullam
vindicabat praedam, febris vehementia, b
chiorum affectio catarrhalis — post reco
lescentiam per plures adhuc persistens septi
nas, aegrotos tussi brevi et sicca saepissime
terdiu et noctu repetita, crucians — pert
cior, et exanthematis per totam cutis supe
ciem extensio, quae neque pedum plantis ne
manuum volis pepercit, majorem morbi g
dum nobis indicare visae sunt. Et inter mul
tunc morbillis affectos, aegrotos non solum
nerae et juvenili sed quoque adultae aetati
scriptos plures observavimus. Febris quid
vehementia, a primarum viarum sordibus p
dere visa, remediorum eccoproticorum usu
liciter supprimebatur, sed tussim istam post
convalescentiam saepissime residuam, in co
vulsivam abire pronam invenimus, saepiusq

in hancce transitum, lentum quidem, ſed
difficillimnm, obſervavimus.

§ 3.

Et, quantum attinet ad morbillorum, tuſ-
onvulſivam antecedentem epidemiam, id
ne memoratu dignum nobis viſum eſt,
ſub ſinem menſis Auguſti et durante menſe
mbri morbus ille morbilloſus ſaevitiam
rit, quae plures et imprimis tenellae ae-
ldictos infantes necavit, et — quatenus
obſervatio patuit — horum plurima pars
hitide periit, quamquam nonnulli quoque
cephalo acuto acceſſorio ſuccubuere.
Hancce bronchitidem vero nos nunquam
iusque ſexus juvenibus nec adultis obſer-
meminimus, ſed ſolummodo in tenerae et
ae aetatis infantibus nobis obvia fuit, qui
ſecundum aetatis annum nondum ſupera-
t. Nunquam ſolebat oriri, niſi exanthe-
ſtadio floreſcentiae abſoluto et ſub pri-
ſtadii deſquamationis initium. Tunc vero,
go quinto, ſexto, vel ſeptimo morbi die
oſtquam febris primitiva, exanthematica
ari et evaneſcere coeperat — novam ob-
imus ſaepe febrem, vehementiſſimam et
ientem, cum tuſſi frequenti, brevi et ſicca
nctam. Mox quoque reſpiratio enormiter
i coepit, ita ut interdum centum, centum
inti et plures ſingulos reſpirationis tractus
imo horae minuto numeraverimus cum
a coſtarum elevatione et muſculorum ab-
nalium nixu conjunctos, breviſſimos, et,
nedici ori aegrotorum admota, clangorem

ſibilantem et peculiarem inter inſpirandur pitum cohibentes. Infantes ita aegrot medico locum affectum indicare neſcii, attamen ſuſpicari licebant per manuum fre tem ad collum et ad laryngem jactationei ut haud temere ex dictis ſymptomatibu bronchitidem agnoviſſe credamus, quan dolemus, ne ſemel quidem — propter v tum praejudicium vulgi — cadaverum ſe nem nobis licuiſſe. Huncce morbum vei bronchiis neque in larynge ſedem ſuam hab ex vocis integritate et rauca quidem, ſed illum ſonitum et ſtrepitum, qui laryngitidi culiaris eſt, exhibente tuſſi elucet.

§ 4.

Horum aegrotorum nonnullos ſervare tigit largo hydrargyri muriatici mitis uſu terno et inunctionibus unguenti hydrargyri nerei ſaepe repetitis, veſicatoriis collo et chae impoſitis, prae ceteris vero hirudinu laryngi et ſterni manubrio admotarum, copi et repetita applicatione. Plures vero haben dolendos, et nonnullos quidem primo nych mero invincibili morbi vehementia necat Iſtorum ſalutem, ante ipſius febris mitigat nem, annunciare ſolebat tuſſis ſirmior, humi altior, ſine raucedine, rariusque occurrens hi praeda mortis facti ſunt, quando ſumma ſpirationis frequentia, pulſuum intermiſſio debilitas, maſticatio frequens cum ſtridore de tium, praeter reliqua imminentis mortis ſig mortem vere ſuffocatoriam brevi anteceſſeru — Et idcirco quidem hujus morbillorum

nitidem transitus mentionem fecimus,
undem tuffis convulfivae exitum eandem-
x illa bronchitidem iisdem cum fympto-
us — fi a decurfu minus rapido et diu-
otracto discefferis — fed faepius ifta ob-
imus.

§ 5.

ofa tuffis convulfiva primum fub finem
Julii occurrit, quo tempore primi hoc
affecti infantes inftituto clinico trade-
, fimulque a ceteris hujus urbis Medicis
ntur. Tunc morbilli omnino adhuc per-
nt, diuque una cum tuffi convulfiva graf-
nt, donec menfe Januario hujus anni ulti-
morbillis aegrotantem viderimus.
uamquam in univerfum tuffis convulfivae
quadruplici deberi videtur caufae remo-
tamen primam ejus originem non nifi in
utionis epidemicae atmofphaericae effica-
enire poffumus. Mox vero eundem mor-
enfim fenfimque ex morbillis vidimus ori-
, imprimis vero poft pravum, durante
alefcentiae ftadio, regimen fed interdum
e eundem transitum morbillorum in tuf-
nvulfivam fine ulla obfervavimus caufa
a, vel propter affinitatem peculiarem inter
que morbi epidemici contagium, vel pro-
pportunitatem bronchiorum, morbillis
rum laeforumque, tuffis convulfivae con-
facilius recipiendi, quorum integritas
ganis refpirationi infervientibus contagio
lofo illaefis — idem miasma forfan faci-
fpuit.
raeter utramque caufam remotam — fci-

licet praeter efficaciam miasmatis atmosph
et praeter idem recipiendi opportuni
morbillis feliciter superatis residuam —
convulsivam saepissime ex sola contagii
tam vidimus ita ut morbus, quando sem
mum quondam ingressus erat, facillime
liquos ejusdem familiae infantes transfe
et — nisi incolumes ab aegrotis strenue
siduo separabantur — paucis infantibus
adultis quidem pepercerit. Interdum vero
nulli liberorum — quamquam omni co
vi expositi — integri evaserunt, et neutiq
morbo eodem affecti sunt; quo denuo p
tur, sicut in omnibus morbis contagiosis i
tussi convulsiva quoque plures occurrere
contagium recipiendum non aptos eoque
nime laedendos.

Et quarto loco denique, quoad causas
sis convulsivae remotas credimus, haud min
partes in illa procreanda tribuendas esse re
tinis corporis refrigerationibus et adauctae
toque — vel exercitationibus corporis v
mentibus adverso vento, vel madefaction
et rel. — suppressae perspirationi cutan
Saltem nobis contigit in plerisque, quos ob
vavimus, adultis hancce tussis convulsivae c
sam remotam pro certo agnoscere.

§ 6.

Quod ad singula morbi symptomata atti
nil novi neque prius jam saepius et melius f
san observati enumerare possumus, inspirat
num clangorem peculiarem longe distantib
audiendum, exspirationum subsequentium

tiam, celeritatem et multitudinem, in-
ſionum integritatem, paroxysmorum ma-
noctu quam diu frequentiam, eorumque
tionem circa auroram et caet. ad reliquo-
uctorum amuſſim quoque obſervantes.
ſub initium plerumque ſicca mox larga
pat ſputa mucoſa. Vomitum poſt ſingulos
mpetus ſub morbi initium nunquam, ſed
nodo inter acmes vel incrementi ejus ſta-
nos obſervaſſe meminimus, cum ſtadii
nenti initio iterum ceſſantem. Neuti-
— quod plerique auctorum obſervaſſe
dunt levamen ſemper ferebat tuſſienti-
vulgo et plerumque poſt vomitus impe-
nonus tuſſis paroxysmus infeſtare ſolebat
os, ter vel quater repetitus, vomituque
s vicibus interruptus.

§ 7.

Iorbi per ſingula ſua ſtadia decurſus,
temporis ſpatium quod inde ex initio us-
d perfectam ejus ſanationem praeteriit,
rti neque conſtantis exhibuit. — Non-
um aegrotorum recordamur, per unius
anae ſpatium feliciter ſanatorum, alio-
e contra, et horum numerum longe lar-
n fuiſſe fatemur — quorum pertinaciſſima
ine magno levamine ſplendidoque ex me-
uxilio ſucceſſu ad viceſimam usque et
protrahebatur ſeptimanam. Id vero nos
os eſſe credimus, morbum in genere eo
ertinaciorem, eoque minus capere mede-
invicibilem arti eo magis reddi, quo ſe-
edici auxilium quaeritur, quod — ſi quid

unquam valeat — non niſi primo morbi initio veram afferre poſſe videtur ſalutem, — ſicut id quoque obſervaſſe cenſemus, tuſſim convulſivam vi contagii ortam minus eſſe pertinacem eaque in genere mitiorem, quae ex una alterave reliquarum cauſarum remotarum naſcitur.

§ 8.

Periculum morbi et mors, quam afferebat, potiſſimum ex bronchiorum affectione peculiari, ad inflammationem et veram bronchitidem usque aggraveſcente, pependiſſe videtur. Quamquam nonnullos quoque phthiſi pulmonum et tabe perire viderimus et aegrotorum duo, ab inſtituto clinico curati, ſcorbuticae cuidam affectioni cum gravi, vehementeque ſtomacace, labia et internas cavi oris partes deſtruente, foetidiſſimumque ſpargente odorem junctae ſuccubuerint, in genere hujusmodi caſus rarioribus adnumerandi erant, multo ſaepius necante bronchitide, quae exculta raro capere ſolebat medelam, cuique difficillime aufugerunt aegroti.

§ 9.

Et quatenus nobis obſervandi occaſio fuerit data, quidem bronchitidis duplicem ſpeciem eſſe diſtinguendam exiſtimamus, discrimine inter utramque minus per ſymptomatum discrepantiam quam per variam originem variumque decurſum dato, alteram acutiſſimam, ſubito et repentino ortam, veroſimiliter ex contagio morbilloſo natam, alteram tarde aegrotos aggredientem, lentiorisque decurſus, utramque febre

vehementiſſima quoad pulſuum ictus enormiter auctos conjunctam; — iſta inter ſecundum vel tertium nychtemeron, vel necare vel in ſanitatem abire ſolebat, haec contra diutius protrahebatur ad duodecimum vel decimum ſextum usque diem, ſed rarius difficiliusque quam iſta capiebat medelam.

Utriusque hujus bronchitidis ſpeciei ſymptomata ad amuſſim fere eadem fuerunt, quae et in morbillis obſervare nobis licuit et de quibus ſupra (§ 5.) egimus, ſcl. reſpirationum tractus ad centum et ad centum et viginti in primo horae minuto adaucti, pulſuum debilium, inaniumque frequentia, et — imminente morte — intermiſſio, tuſſis frequens, breviſſima, rauca, plerumque ſicca et quaſi ſuppreſſa, nulla affectio topica, niſi quam in bronchiis ſuſpicari licebat, ſitis vehemens, ciborumque appetitus abolitus et rel.

Cauſas quidem bronchitidis vero ex pravo regimine durante tuſſis ſtadio convulſivo, imprimis vero ex hirudinum ſub primum morbi initium neglecto uſu pendere credimus; alias ſaltem cauſas detegere nobis nunquam contigit, neque unquam eandem bronchitidem mortiferam obſervavimus in aegrotis, ab initio aſſiduo et apparatu antiphlogiſtico, quatenus ſanguinis miſſionem poſtulat, repetitis vicibus curatis, niſi ea acceſſerit cauſa, memoratu prae caeteris digna, per quam plures periiſſe infantes aegre fatemur, et quae a contagio morbilloſo pendere nobis viſa eſt.

Obſervavimus nempe ſaepius, aegrotos infantili et tenellae aetati adſcriptos et tuſſi convulſiva laborantes, morbillos nondum perpeſ-

ſos, hac bronchitide infeſtari quando contagio morbilloſo afficiebantur. — Scilicet ſi alii aegroti, morbillis correpti, cum iſtis tuſſi convulſiva laborantibus in eodem conclave commorabantur, circa ſtadium deſquamationis hujus exanthematis — quo tempore contagii vis efficaciſſima eſſe ſolet — ſubito et ſine ulla alia cauſa illos bronchitis acutiſſima acceſſit, non erumpente vero exanthemate morbilloſo, quod, ſi revera erupit, quoque eandem bronchitidem rurſus profligavit, ita ut haud temere forſan nobis ſuſpicari liceat, hujus bronchiorum inflammationis cauſam contagium morbilloſum fuiſſe, et ut huic noſtrae opinioni — quatenus fieri poterit — veritatis impertiamus teſtimonium, ſequentes obſervationes haud ſupprimendas eſſe cenſuimus.

1) Cauponis cujusdam filia, puella duos et quot excurrit annos nata, per nonnullas ſeptimanas tuſſi convulſiva laborabat, et auxilio medico aſſidue, ſed ſine magno levamine curabatur, quum, circa tertiae hujus morbi ſeptimanae finem, frater, puellus quatuor annorum, in morbillos incidit, quos feliciter ſuperavit. Puellam ſororem, tuſſi convulſiva laborantem, morbillis, quibus hactenus vacua fuerat, quoque affectum iri quilibet eo minus dubitabat, quo magis ipſi experti eramus, morbillorum contagium rariſſime et nunquam fere adhuc intactis parcere. Circa ſtadium deſquamationis vero et circa tempus ſummae contagii morbilloſi efficacitatis hancce puellam febris acceſſit cum tuſſi frequenti et ſicca, mitigata convulſiva. — Morbillos vero — quorum praecurſorem hancce febrem cum tuſſi mutata cenſuimus —

non, ſed horum loco bronchitidem vehementiſſimam, obſervavimus, omnia ejusdem morbi ſymptomata peculiaria, ſupra et in § 5. deſcripta, diſtinctiſſime exhibentem, cui infans ille, omnibus aptis remediis fruſtra adhibitis, poſt triduum ſuccubuit.

2) Mercenarius quidam quatuor gaudebat liberis, ſcilicet filio natu majori, octo annorum, tribusque filiabus, natu minoribus. Hae tres puellae ſenſim ſenſimque, et uti nobis viſum fuit vi contagii, auxilio medico orbae pravoque expoſitae regimini, tuſſi convulſiva corripiebantur, puello fratre immuni eodemque morbo illaeſo. Puellus ille vero in morbillos incidit, quos feliciter et ſine auxilio medico ſuperaverat, quum tres ejus ſorores, morbillos nondum perpeſſae, circa morbillorum ſtadium deſquamationis, et quidem binae natu minores ſimul eodemque die, tertia natu major ſerius — bronchitide afficiebantur. Iſtae, tenellae aetatis et loquelae expertes, manibus frequenter collum et regionem laryngis contrectabant, locum morbo affectum, uti nobis viſum fuit, adſtantibus indicaturae, et, morbo omni auxilium medicum reſpuente, biduo praeda mortis factae ſunt. Haec, multum de dolore pungente et urente in collo conqueſta, feliciter convaluit, poſtquam exanthema morbilloſum, brevi poſt bronchitidis acceſſum, erupuerat, illamque ſuſtulerat.

§ 10.

Quamquam multifariam contra morbum iſtum in uſum vocavimus medelam, et plurimam remediorum illorum partem, quae a variis

obſervatoribus ſuo tempore laudata ſunt, adhibuimus, attamen nobis cum plerisque auctorum fatendum eſt, nos nullum inveniſſe huic morbo medendi methodum, quae piis artis deſideriis plane facere poſſet ſatis. — Quoniam vero experti ſimus, tuſſim convulſivam saepiſſime eſſe invincibilem arte, et tunc facillime remediorum efficaciam inanem reddi, quando morbus ſub initium auxilio medico fuerat deſtitutus, nihilominus in ſanguinis miſſione tempeſtiva, in Acidi hydrocyanici uſu cauto et circumſpecto, et in ſulphuris depurati cum Radicibus Belladonnae et Ipecacuanhae mixti applicatione nos plurimam inveniſſe credimus ſalutem.

§ 11.

Et quod primum ad ſanguinis miſſiones ſpectat, illis frequentiſſime uſi ſumus, ſcilicet venaeſectione in adultis, et hirudinibus in cujusvis et tenerrimae quoque aetatis infantibus. Etſi ex noſtris obſervationibus concludere liceat, in rite feliciterque ſananda tuſſi convulſiva ſanguinis miſſiones multum valere, minimeque eſſe ſpernendas, nihilominus nobis eſt fatendum, nos nunquam et ne ſemel quidem ex earum inſtitutione ſplendidos iſtos obſervaſſe ſucceſſus, quos beat. Marco *) attingere contigit, quamquam perſuaſum nobis eſſe debet, hujus minoris efficacitatis cauſam neque exiguam ſanginis miſſi quantitatem, neque ſemper haud tempeſtivam earum applicationem fuiſſe.

*) Der Keichhuſten, über ſeine Natur, Erkenntniß und Behandlung, von Adalbert Friedrich Marcus. Bamberg und Leipzig 1816. § 223 und § 246.

Id enim experti ſumus, ſanguinis miſſiones, . unquam aliquid valeant ad tuſſim convulſi- am profligandam, in primo morbi initio eſſe .iſtituendas, et, ſi fieri poteſt, durante ſtadio, jus catarrhali et antequam in ſecundum vel onvulſivum ſtadium abierit. Propterea quo- ue nos ex hirudinum et lanceolae phlebotomae ſu proſperos non obſervavimus ſucceſſus, niſi obis contigerit, hancce medelam tempeſtive t in primo morbi ſtadio inſtituere. Tum vero ieminimus, ſanguinis miſſiones tuſſim convul- vam incipientem interdum citiſſme ſanaſſe et uaſi abſtuliſſe. Scimus ſaltem, nos in ſingulis miliis tuſſim convulſivam in uno alterove li- erorum, reliquis immunibus, penitus excul- m et ad ſummam usque vehementiam et per- naciam provectam vidiſſe, eundemque mor- um in caeteros quidem familiae vel domus in- ntes vi contagii translatum iri agnovimus ex ſſi ſicca, brevi, peculiarem clangorem et ſo- itum exhibente, qua reliqui infantes affici coe- erunt, cujus ſingula ſymptomata vero ſatis lu- ide verbis exprimi neſciunt, quae autem longe tuſſi catarrhali vulgari abhorret, et quam ex- erientiſſimus quisque, aure paululum ſaltem xercitata, a tuſſi vere catarrhali facillime di- inguet, et ex ſingulis ejus ſymptomatibus tuſ- m convulſivam incipientem, in primo ſtadio erſantem, certe agnoſcit. Saepius vero ean- em tuſſim convulſivam incipientem ex hiru- inum uſu ſatis largo et interdum quoque re- etito evaneſcentem et ad ſanitatem redeuntem idimus, ita ut ſanguinis miſſionum efficacitas hisce caſibus extra omnis dubitationis aleam obis poſita ſit.

Id vero memoratu dignum erit, eundem hirudinum vel venaesectionis effectum multo splendidiorem, et tussim convulsivam incipientem sanguinis missionibus multo sanatu faciliorem fuisse, si vi contagii fuerat orta, eundemque morbum difficilius hanc cepisse medelam, si ex una alterave caeterarum causarum remotarum (§ 5.) originem duxerat; quo denuo probatur, quod supra memoravimus — tussim convulsivam, vi contagii ortam, minus, quam reliquae ejus quoad aetiologiam species, curatu esse difficilem. Nihilominus fatendum nobis erit, hancce tussi convulsivae medendi methodum minus valere ad morbum nostrum feliciter sanandum, quam ad probandam inflammatoriam indolem, quae huic morbo revera inesse videtur. (§ 18.) Tussis enim ista incipiens, sanguinis missionibus feliciter profligata et suppressa, haud ita multum post iterum redire solet, quia utraque ejus causa remota, vel vis contagii vel ipsius aegri opportunitas, ex constitutione aëris epidemica orta, vulgo et diutius quam sanguinis missionum effectus perdurat, novumque ejusdem morbi impetum hanc ob rem plerumque ciet, quia contagii vis non nisi strenua integrorum ab aegrotantibus separatione, et opportunitas, constitutione aëris orta, nonnisi mutata atmosphaerae conditione vel morbo ipso feliciter superato vinci potest. Propterea quoque nos hancce tussim convulsivam, in ejus initio sanguinis missionibus feliciter sanatam, post aliquod tempus plerumque vidimus redeuntem, et iterum medelam postulantem.

Quando vero inter morbi stadium convul-

.vum ſanguis mittebatur, varium et nunquam plendidum obſervavimus eſſectum. Mitiga-ionem ſingulorum tuſſis impetuum, quam hi-udines vel phlebotomia interdum effecerunt, nterdum vero plane negarunt, ab eo pependiſſe redimus, quo magis minusve morbus in bron-hitidem abire pronus ſit. Propterea quoque xiſtimamus, ſanguinis miſſiones in tuſſi con-ulſiva pro remedio principe idcirco eſſe ha-endas, quia hae ſolae impedire poſſunt, quo ninus in bronchitidem lethiferam abeat. lancce vero bronchitidem praecavendi vim lis ineſſe ſaepiſſime experti ſumus, et quam-uam multos infantes iſta bronchitide, tuſſim onvulſivam accedente, affectos et plures — uorum in univerſum haud exiguus fuit nume-us — ea necatos eſſe ſcimus, attamen nun-uam eandem bronchitidem — ſi ab iſta ejus ecie mortifera, quae ex contagio morbilloſo, rae cute ſola bronchia afficiente, naſcitur, dis-eſſeris (§ 9.) — in illis nos obſervaſſe aegrotis eminimus, quos inde a primo morbi initio uraveramus, quod, omnium reliquorum reme-iorum ad huncce funeſtum morbi exitum prae-avendum inefficaciam experti, non niſi ſangui-is miſſionibus, quibus frequentiſſime uſi ſu-us, tribuendum eſſe exiſtimamus.

Et tunc quidem imprimis ſanguinis miſſio-ibus locum dandum eſſe cenſemus, quando in termiſſionibus ſinguli inſpirationum tractus t maxime profundi ſonitum peculiarem, ſibi-antem, haud nimis altum, propria cujusvis edici aure, aegrotantium ori admota, audi-dum, et ab inſpiratione ſtertoroſa — quae x muci in bronchiis accumulatione naſcitur —

caute diſtinguendum reddere inceperint. Et, ſi quid recte video, mihi foret perſuaſum, eundem iſtum ſonitum primum bronchitidis tarde accedentis initium indicare. Propterea quoque nos nunquam cunctati ſumus, ſterno vel laryngi hirudines largo numero admovere, ſi iſtum ſonitum ſibilantem ſimulque celeriorem reſpirationem obſervavimus, et fere ſemper invenimus, non ita multo poſt reſpirationem tardiorem fieri, ſonitumque iſtum inter inſpirandum ceſſare, et ſic nunquam veram bronchitidem excoli vidimus.

§ 12.

Prae omnibus remediis interne applicandis *Acidum hydrocyanicum* nobis plurimum viſum eſt probatum, quo in inſtituto clinico frequenter et haud ſine ullo ſucceſſu uſi ſumus. Inter triginta aegrotos, inſtituto clinico propter tuſſim convulſivam ſanandam traditos, viginti fuere cujusvis aetatis, quibus acidum illud prae omnibus reliquis remediis internis praebebatur, et certe non fallimur, ſi ex iſtius uſu multo feliciorem et certiorem affectum quam ex qualicunque alio remedio nos obſervaſſe credimus.

Horum viginti aegrotorum, quibus acidum illud praebebatur, ſex nullum ex ejus uſu nobis oſtenderunt effectum, ita ut remedium in illis plane inefficax quaſi viſum ſit. Verſabantur vero hi in morbi ſtadio convulſivo, et ſero — antea omni auxilio medico et diaetetico orbi et deſtituti, inſtituto clinico tradebantur, poſtquam morbus jam ſummam vehementiam et pertinacitatem aſſecutus erat.

Reliquis quatuordecim, ſub primum morbi nitium in tractationem medicam inſtituti cliici ſusceptis — remotis antea variis complicaionibus aptis remediis, v. c. inflammatoriis irudinum, gaſtricis emeticorum et eccoproticoum uſu — acidum hydrocyanicum optimo cum ffectu praebebatur, ſimul cum veſicatoriis reetitis et diu ſuppurantibus. Hos intra trium el quatuor hebdomadum ſpatium perfecte ſaari et ad ſanitatem reduci vidimus, et ita quiem ut tertio vel quarto poſt hujus acidi uſum ontinuatum ſinguli paroxysmi mitigari et mox uoque rariores fieri coeperint. Plerumque uidem acido hydrocyanico extractum ſtipitum ulcamarae admiſcuimus, ſed quemlibet non ubitaturum credimus, quin hujus minor fuerit fficacia. Doſis vero, quam ſingulis praebuimus egrotis, varia quidem fuit ſecundum differenam aetatis, attamen non minorem niſi quatuor eque majorem quam octo guttarum per nychemeron adhibuimus, v. c.

Rp. Acidi hydrocyanici gtt. vj.
Extr. ſtipitum dulcam ʒß.
Aquae flor. chamomil.
Syrup. liquirit. aa. ℥j.

M. S. Quavis hora cochlear parvum (drachmae unius) ſumendum.

§ 13.

Lentiorem ſed et' mitiorem effectum, mime plane ſpernendum, et ſicut nobis viſum t — omnia caetera remedia antecellentem obis oſtendit ſulphuris depurati uſus continua-

tus, jam pridem ab **Horstio** *) laudatus et recentioribus relationibus **) iterum confirmatus, potissimum si illi Belladonnae et Ipecacuanhae radices admiscentur. Sulphur vero ita aegrotis tussi convulsiva laborantibus praeberi vult, ut ter vel quater per diem alvum moveat, postquam antea inflammatorium aliquid, quod saepe tussi sub initium inest, et inter hujus remedii usum saepius quoque redit, hirudinum usu remotum est. Tunc vero primum linguae tegmentum crassum, tenax et flavescens evanescit, cibi percepti extra tussis paroxismos per vomitum reddi cessant, dehinc quoque ipse vomitus, quo singuli tussis paroxysmi interrumpuntur, silet, atque sensim sensimque et lente quidem et tarde ipsi paroxysmi mitiores et rariores fiunt, donec tandem post tertiam, quintam, imo sextam et octavam post hujus remedii usum septimanam tussis ista sanetur, et infantes ea affecti ad sanitatem reducantur. Dosi plerumque cum effectu usi sumus sequente:

Rp. Radicis Belladonnae gr. vj.
— Ipecacuanhae gr. iv.
Sulphuris depur. ℈jj.
Sach. albi ℈iv.

M. f. Pulvi. divid. in xii. (vel pro ratione aetatis xxiv.) partes aequales S. quater per diem pulverum unus sumatur.

§ 14.

Denique quarto et ultimo loco inter reme-

*) Hufeland und Himly Journal der praktischen Heilkunde, 1813. Februar.

**) Annalen für die gesammte Heilkunde, herausgeg. von der G. H. Badischen Sanitätscommission. 1ster Jahrg. 1824. 2tes Heft.

lia, quae nobis efficacia viſa ſunt, quoque *mo-ſchi* mentionem facere debemus, qui parum tan-tum ad tuſſim convulſivam ſanandam contuliſſe, attamen non omni ſalutifero effectu deſtitutus fuiſſe videtur. Sub initium morbi et inter ſta-dium ejus convulſivum ſalubrem fere nunquam oſtendit effectum ſi quoque larga doſi praebe-batur, maxime vero tunc ex ejus uſu aliquam experti ſumus ſalutem, quando morbus ſtadium convulſivum plurima ex parte ſuperaverat, ita ut moſchus omnino reconvaleſcentiam accele-rare et ſtadium decrementi in brevius contra-here videatur, potiſſimum ſi refracta et ſaepe repetita doſi praebetur, quae nobis prae largis et rarioribus doſibus probata viſa eſt.

§ 15.

Sicut modo memoratorum remediorum ef-ficaciam, haud raro quidem arctis finibus con-ſtrictam, experti ſumus, ita quoque reliqua omnia, a nonnullis paſſim et ſaepe nimis lau-data fruſtra et incaſſum adhibuimus, quo per-tinet Radix Belladonnae, Aſa foetida, Aqua lauro-ceraſi, Tinctura opii, Extractum Pulſa-tillae, Acidum muriaticum purum et rel. de quorum exigua efficacitate nonnulla ſingulatim. Sub primam hujus epidemiae invaſionem radi-cem Belladonnae, qua antea in tuſſi convulſiva ſporadica ſaepius et haud ſine ſucceſſu uſi era-mus, crebro et larga doſi adhibuimus, infan-tibus variae aetatis quatuor vel ſex grana per diem praebentes, donec, propter exiguam, quam nobis ferebat, ſalutem, ejus uſum peni-tus omiſerimus. — Siquidem iſtud remedium

tuſſis convulſivae ſingulos paroxysmos vel ſupprimere, vel mitigare nobis viſum eſt, attamen illi mederi non potuit, tuſſi poſt ejus uſum priſtina cum vehementia redeunte; interdum quoque effectum penitus negabat. Adultorum, quibus idem remedium praebuimus, plurimi uſum ejus continuatum nobis recuſabant propter moleſtias inde ſibi excitatas, quia intrantibus tuſſis paroxysmis, hos ipſos quidem ſupprimere videbatur, ſed pruritum in faucibus et larynge ciebat moleſtiſſimum, ipſa tuſſi toleratu difficiliorem. Et id nobis quoque prae caeteris dignum videtur, nos ſaepius poſt largum Belladonnae uſum rubedinem illam exanthematicam, ſcarlatinae haud diſſimilem obſervaſſe, pectus, dorſum et humeros obducentem, quae per aliquot horas perſtitit, pruritum excitabat, dehinc evanuit, ſed ſaepius rediit, donec hujus remedii uſus plane omitteretur. Meminimus idem phaenomenon potiſſimum in infantibus — nunquam in adultis — cute tenerrima, molli ſenſibili, nivis inſtar candida praeditis nobis occurriſſe, in aliis vero cute rigida, flaveſcente, duriuſcula inſtructis defuiſſe. Nunquam vero ſimul adfuit faucium praeter naturam ſiccitas vel rubedo.

Laudibus illis, quibus Koppius *) Aſae foetidae lentam quidem ſed certam extulit efficacitatem in tuſſi convulſiva commoti, ſaepius et diu illa uſi ſumus, ſemper vero fruſtra et penitus incaſſum ne minimam quidem ſalutem ex illa obſervantes.

---

*) Journal der praktiſchen Heilkunde von Hufeland und Oſann. Jahrgang 1827.

Aqua lauro-cerasi contra omnino nobis interdum ostendit effectum sed lentum, et splendidum nunquam. Largas postulabat morbus ujus remedii doses, illique semper — nisi in enellae aetatis infantibus — acidum hydrocyaicum esse praeferendum existimamus.

Tincturae opii usum quoque mox omisius, ejus inefficaciam in tussi convulsiva saanda repetitis vicibus experti, nullamque ex pio salutem, omnia contra damna, quae hus narcotici remedii usus continuus in tenerae etatis infantibus vulgo ciere solet, observantes, t dolemus Cel. Henke *) aliorumque **) obervationes de opii in tussi convulsiva efficacia ostram epidemiam non comprobasse, et nos ropterea horum auctorum opiniones nos nostras icere non posse.

Haud majorem quoque efficaciam experti sumus ex acidi muriatici puri secundum hiel ***), extracti pulsatillae nigricantis seundum Löbel, Tincturae cantharidum alioumque a nonnullis laudatorum remedioum usu.

Et unguentum e Tartaro stibiato denique obis nunquam istos ostendit effectus, quos utenrithius ****) et alii ex ejus inunctione bservasse contendunt. Nobis saltem ne semel

---

*) Handbuch zur Erkenntniß und Heilung der Kinderkrankheiten, 3te Aufl. 2ter Band. Frankfurt a. M. 1821. S. 206 — 208.

**) Matthäi et Müller im Journal der praktischen Heilkunde von Hufeland und Himly. Jahrgang 1810. September. S. 113.

***) Salzburger medizinisch-chirurg. Zeitung. 1813. S. 30.

****) Versuche für praktische Heilkunde. 10ter Band. 4tes Heft. S. 127.

quidem contigit, ullum videre post hujus usum sanationis progressum, quem auctor iste descripsit, et quamquam omnino idem unguentum haud plane inefficax nobis videtur, attamen dubitamus, majorem illi tribuendam esse efficaciam, quam reliquis remediis externis, derivantibus, diuque suppurantibus.

II.

Pars epicritica.

§ 16.

Si verum est, quod historia medicinae quotidie nos docet, eo magis in obscuro latere abditamque habere cujuslibet morbi, qui genus humanum infestat, medicinam, quo major sit remediorum, quibus contra illum utimur, numerus, quoque minus simplex multifaria illi medendi methodus; idem quoque valere debet de morbo de quo agimus, eoque magis urgebit necessitas castis observationibus hactenus incerta et obscura illustrandi et, quantum fieri poterit ad illam, quae desideratur, metam istius medicinam perducendi.

Magnopere vero dubitamus, num infructuosa delusaque medicorum nova detegendi proponendique remedia sedulitate tussis convulsivae pathologia et therapia omnibus quibus hactenus premuntur difficultatibus possint liberari; nobis saltem magis foret probata ex caste observatis cautas sed lucidas formandi conclusiones methodus, quam prae caeteris secuturi hancce obser-

ationum noſtrarum epicriſin opusculo noſtro nnexuimus, iſtarum obſervationum interpretationem lectori benevolo proponentes.

§ 17.

Et primo quidem ex illis, quas haec exhiuit epidemia, obſervationibus haud nimis taaen forſan — conjectare licebit, nonnullam reera adeſſe inter morbillos et tuſſim convulſivam, nonnullis auctorum jam pridem propoſitam *) b aliis vero refutatam **), analogiam, tam uoad conſtitutionem aëris epidemicam, ex qua terque morbus naſcitur, quam quoad affectiois bronchiorum in utroque proximam cauſam. *ſta* ſaltem, exploratu difficillima, ex cauſis coſaicis vel telluricis hactenus in obſcuro latentius nata, utrumque morbum a nobis obſervaum peperit, modo alterum modo alterum civit; — *haec* vero bronchiorum affectio morboſa, uae in utroque occurrit morbo, talem probare idetur analogiam, minus propter ſymptomata n utroque haud penitus diſſimilia, ſed potius uia in utraque ejusdem organi affectio, et quae norbillos et quae tuſſim convulſivam attinet, in ronchitidem abire prona eſt, potiſſimum vero uia unius contagium alterius affectionem toicam ad veram inflammationem usque augere idetur (§ 9.).

---

*) Pohl, de analogia inter morbillos et tuſſim convulſivam programma. Lipſiae 1789.

**) Henke, l. c. 2ter Band. S. 195.

§ 18.

Num vero tussi convulsivae inflammatorium aliquid insit, hanc, quae adhuc sub judice lis est, quatenus fieri potest, decernendi observationes supra relatae (§ § 9. 8. 11.) haud penitus infructuosam forsan nobis praebuerint occasionem. — Quamquam procul absumus, quin Whattii *) et beat. Marci **), qui vel rarae inflammatoriae indolis epidemiam, vel haud satis caste illam observasse videtur — opiniones nostras facere velimus, attamen haud magis cum Albers ***), Henke ****), Wendtio †), hasce opiniones plane infitiantibus consentire possumus, potius vero Cel. Haase ††) adsentiremus, qui omnino rem acu tetigisse nobis videtur.

Tussim convulsivam et bronchitidem veram non esse morbos s. d. (sit venia barbarae voci) identicos, sed unum ab altero magnopere discrepare, nulla nostris temporibus eget argumentatione, quam Albers †††), Henke atque

---

*) Treatice on the nature, history and treatement of chincough, by Rob. Whatt. Glasgow 1813.

**) Der Keichhusten, über seine Erkenntniß, Natur und Behandlung, von Adalb. Friedr. Marcus. Bamberg 1816. 8.

***) Badhams Versuch über die Bronchitis, oder die Entzündung der Luftröhrenäste. Aus dem Engl. v. Kraus, mit Anmerkungen und einer Vorrede von J. A. Albers. Bremen 1815.

****) l. c. 2ter Band. S. 196—200.

†) Die Kinderkrankheiten, systematisch dargestellt v. J. Wendt. Breslau und Leipzig 1822.

††) Ueber die Erkenntniß und Cur der chronischen Krankheiten, von W. A. Haase, 2ter Band. Leipzig 1820. S. 137. 149—152. und 168

†††) l. c. et Marcus l. c. § 54—65.

ıt clari nominis viri egregiam et perſpicuam ꝁhibuerunt. Id vero contra tantas refutationes ıud incaſſum experientia demonſtrandum foret, ıſſi convulſivae aliquid ineſſe, haud diſſimile ſlammationi, et bronchitidi quoque ſi mavis, ıae demonſtratio, ſi contigerit, omnino non ıe ulla vi et potentia quoad hujus tuſſis conılſivae medelam et ſanguinis miſſionum, vulgo mis neglectarum, utilitatem eſſe deberet.

Secundum proprias vero obſervationes ſura relatas nos inflammatoriae partes in tuſſi ınvulſiva non amplius in dubium trahere poſmus, tum propter argumenta a reliquis auctobus propoſita — quae deſumi ſolent ex febre epiſſime vere ſynochica, tuſſim convulſivam ıncomitanti, ex cadaverum ſectionibus, ex reiratione anomala in intermiſſionibus, inſpiraınum clangore alto et peculiari inter paroxysos et rel. — Quum propter ſanguinis miſſioım efficaciam, et ſub primum ejus initium tuſn convulſivam incipientem plane auferentem ſupprimentem, et quo minus morbus in bronıitidem lethiferam abeat certe impedientem. ıtiſſimum vero eaedem inflammatoriae partes eo nobis probari videntur, quod tuſſis conılſiva tam crebro et ſaepe in bronchitidem vem abeat. Ille transitus vero omnino nonniſi r metaſchematismum fieri videtur, per quem ro non novus oritur morbus, ſed priſtinus agis per epigeneſin ad ſubſequentem quaſi revetur, ita ut iſta morbi mutatio magis per metapſin quam per diadochen vel diadexin *) fiat.

---

*) Conf. Conradi Handbuch der allg. Pathologie. 3te Aufl. Marburg 1822. S. 43.

Sic ſaltem ſolummodo nobis facile explicatu videtur, quomodo ille morbus ſenſim et lente in bronchitidem abire, vel contagio morbilloſo ſubito et celerrime ad illam usque poteſt augeri.

Sed ſyſtematis nervoſi ſtatus anomalus et morboſus ejusdemque magnae, atque ſummae et principes in tuſſi convulſiva partes, quae prae caeteris a nervo vago et hujus decurſu pendere videntur *), minime erunt infitiandae. Quod, ſi ex reliquis morbi ſymptomatibus — ſc. intermiſſionibus perfectis, prodromis ſingulos impetus antecedentibus et rel. — neque minus ex ſolius methodi antiphlogiſticae incerto effectu ad liquidum nondum eſſet demonſtratum, ex illa vulgata experientia, quam plurimum probaretur, qua docemur, novos paroxysmos nullis aliis magis, quam animi commotionibus et pathematibus excitari.

Omnia vero haec ſingulatim reſpicientes, credimus, tuſſim convulſivam haud nimis temere morbum poſſe appellari, cujus proxima cauſa pendet de bronchiorum affectione peculiari, nec ſolis nervis nec ſanguini ſoli ſed utrique ſimul inſita, hactenus verbis exprimi atque definitionibus exhauriri neſcia, ab altera parte crebros et ſpaſticos ciente paroxysmos, ab altera autem in veram inflammationem abire prona.

§ 19.

Quod vero ſpectat ad tuſſi convulſivae medendi methodum, quam hujus epidemiae obſer-

---

*) W. A. Haaſe, differt. de tuſſis convulſivae Semiologia et Noſologia. Lipſiae 1807.

atio prae caeteris nobis probavit, quamquam
inime ignoramus, et hanc vario morborum cha-
cteri esse obnoxiam — primum locum sem-
er sanguinis missionibus dandum esse censemus.
ae sub primum morbi initium in stadio ca-
rrhali, antequam tussis in stadium convulsivum
iverit, summo cum effectu instituentur. Du-
nte vero stadio convulsivo tunc potissimum ad
os confugiendum erit, quando bronchitidis
minentis suspicio movetur, tum febre tussim
nvulsivam, antea ista expertem, accedente,
uum — et maxime quidem respirandi difficul-
ti, sc. respiratione accelerata, inspiratione que
ilante in intermissionibus (§ 11.). Hujusmodi
nguinis missiones vero largae esse debent pro
tione aetatis, quia, si sunt exiguae, effectum
epissime negant. Alias sanguinis missionum in-
cationes nunquam nobis invenire contigit.

Inter longam internorum remediorum se-
em nullius quam Acidi hydrocyanici efficaciam
agis laudare possumus. Quamquam nostrae
s docuerunt observationes, id quoque tempe-
ve in usum esse vocandum (§ 12.), attamen
n dubitamus sanguinis missionibus, vesicatoriis
l sinapismis repetitis vicibus pectori vel dorso
ponendis, complicationes inflammatorias an-
a removendas et tunc, isto remedio cito et prae
eteris utendum esse — quamquam non igno-
mus, ejus quoque efficaciam characteri epide-
co esse obnoxiam *), et propterea aliorum ob-
vationibus adhuc probandum. Quando vero

) Conf. Fr. Ludw. Meißner. Was hat das 19te Jahrhundert für die Erkenntniß und Heilung der Kinderkrankheiten gethan? Leipzig 1826. S. 281 und 282.

iſto acido uti velis, ne larga illud infantibus praebeas doſi caveto, cautaque illud adhibito manu, quia facilius quam Belladonnae uſus hydrocephalum acutum excitare videtur *).

Si vero quis propter hujus acidi effectus in totum ſyſtema nervoſum et maxime in ejus organon centrale vehementiam — ab illius uſu, potiſſimum in tenellae aetatis aegrotantibns, abhorruerit, iſti nil efficacius ſupponere ſcimus, niſi ſulphuris depurati, cum aptis adjuvantibus mixti (cfr. § 13.) uſum continuatum cujus lentum, ſed ſalutiferum effectum hujus epidemiae obſervatio denuo nobis confirmavit.

Quando vero ſanguinis miſſionibus praemiſſis, et, ſi bronchitidis imminentis ſuſpicio movetur, ſaepe et cito repetitis — vel ex unius vel alterius remedii interni uſu tuſſis convulſiva eo pervenerit, ut primam ſuam ſuperaverit vehementiam, tunc prae caeteris moſchum in uſum eſſe vocandum cenſemus, qui refracta ſed eo ſaepius repetita doſi, multum nobis conferre viſus eſt ad reconvaleſcentiam accelerandam. Et durante morbi ab initio usque ad ſinem decurſu, minime negligendum eſſe derivantium externorum ope veſicatoriorum, vel ſinapismorum, vel denique unguenti e Tartaro ſtibiato inunctionum — uſum continuatum, nos noſtras docuere obſervationes, quamquam nullam unius prae altero remedio derivante efficaciam detegere potuimus.

---

*) Leop. Ant. Gölis praktiſche Abhandlungen über die vorzüglicheren Klaſſen des kindlichen Alters. 1r Band. Wien 1815. S. 97 und 98.

Denique vero emeticorum uſus quoque entionem facere debemus, potiſſimum ſub orbi initium, ſi, quod tunc ſaepius ſit, ſor-um gaſtricarum ſymptomata adſunt et urgent; ec minus ad ſtabiliendam reconvaleſcentiam et ſſim recidivam praecavendam roborantibus cus dabitur, corticem peruvianum, radicem negae, gummi ammoniacum, Lichenem islan-cum et rel. applicando.

CURRICULUM VITAE.

Ego Henricus Fridericus Starck, patre cariſſimo Demmini chirurgo oriundus, anno milleſimo octingenteſimo tertio, decimo Aprilis die natus et evangelicae confeſſioni addictus ſum. Ad decimum quintum aetatis annum usque prima litterarum rudimenta ut ponerem, ſcholam, quae Demmini floret, frequentavi. Quo facto patri in nonnullis negotiis chirurgicis auxilium ferebam, atque linguam latinam ſummo ſtudio colere coepi. Annum undevigeſimum agens, ad artem medicinae addiſcendam Gryphiam almam me contuli, ubi anno milleſimo octingenteſimo vigeſimo ſecundo a Rectore Magnifico Ill. Kanngieſser in civium academicorum numerum receptus ſum. Quo ex tempore Illuſtriſſimorum Celeberrimorumque Profeſſorum praelectionibus aſſidue interſui, et Ill. Overkampii quidem de philologicis et philoſophicis, Ill. Kanngieſser de hiſtoricis, Ill. Tillberg hoc tempore Rect. Magnif. de phyſicis, Ill. Fiſcher de mathematicis, Cel. Florello de philologicis. Methodologiam medicam, chemiam, pharmacologiam, pharmaciam et artem formulas praeſcribendi, nec non mineralogiam me docuit Ill. de Weigel, anatomiam, phyſiologiam et artem cadavera diſſecandi Ill. Roſenthal, oſteologiam et anatomiam chirurgicam Exper. Barkow, pathologiam et therapiam generalem ſpecialemque, nec non artem obſtetriciam Ill. Berndt, chirurgiam cum generalem tum ſpecialem, oſſium morbos et ophthalmiatricen, nec non akiurgiam artemque fascias rite alligandi Ill. Sprengel, pathologiam generalem et artem obſtetriciam Cel. Warnekros, ſymptomatologiam Exper. Seifert, zoologiam, botanicen et

nonſtrationes herbarum in horto botanico inſtitutas
Hornſchuch tradentes audivi. Scholis clinicis
n medicis quam chirurgicis per triennium, obſtetriciis
'o per biennium Ill. Ill. Berndt et Sprengel du-
us interfui.

Duobus abhinc et quod excurrit annis, in cohorte
gia venatorum, quae Gryphiae ſtativa nunc habet,
rurgi munere fungor; philologicis collegiis interim
ıd neglectis, in illis litteris, quae ad ſcholae erudi-
ıem pertinent, magis magisque excultus, denuo exa-
n, quod cuilibet in academicorum civium numerum
ıd conditionata facultate recipiendo obeundum eſt,
re conſtitui, quo rite ſuperato ſecundi ordinis, quo
tenus carebam, teſtimonium mihi attributum eſt.